

DE  
VERITATE ÆSTHETICA

*Disfertatio.*

---

Cujus

*Partem Tertiam,*

*Venia Ampliff Ord. Phil. Aboëns.*

Publico examini modeste offerunt

Mag. MICHAËL LCHORÆUS,

Eloquentiæ Docens,

Et

CAROLUS HENRICUS ASP,

Satacundenfis.

In Auditorio Majori die 15 Junii 1801,

Horis a. m. folitis.

---

ABOË,

In Officina FRENCKELLIANA,

Corrigenda in Parte Prima.

- Pag. 4 lin. 22 leg. *quaevis*.  
pag. 11 l. 18 leg. *minimam elocutionis partem*.  
p. 12 l. 3 leg. *quando dicimus* l. 14 leg. *debent* l. 18 leg. *ruinae*.  
p. 13 l. 27. del. *si quis*.  
p. 16 leg. *falsitates*.  
p. 19. leg. *benigno*.

In Parte Secunda.

- p. 21 l. 8 leg. *possibile* l. 12. leg. *admodum sint*.  
p. 23 l. 1 leg. *mixtione* l. 11 leg. *edocet* l. 23 leg. *repugnant*  
l. 25. leg. *destruunt*.  
p. 24 l. 12 leg. *maxime sublimem* l. 19 leg. *praemio*.  
p. 26 in not. a. lin. 1 leg. *audaces* b. l. 4 leg. *nos latet* l. 7.  
leg. *ex arboribus de monte Ida* l. 9. leg. *in mari* l. 10 leg.  
*potuisset*.  
p. 27 l. 26 leg. *ingere docuit*.  
p. 28 l. 3 leg. *audeat* l. 12 leg. *non timeat*.  
p. 32 l. 15 leg. *valuerimus* l. 23 leg. *superfuerit*.  
p. 33 l. 14 leg. *lusus*.  
p. 34 l. 13 leg. *clara & perspicua* l. 15. leg. *primo Iliadis li-*  
*bro* l. 21 leg. *jaculatus est*.  
p. 35 l. 20 leg. *haurire dubitaret*.

In Parte Tertia.

- p. 37 l. 1 leg. *obdormierit* l. 8 leg. *aeque pertinet haec imago*.  
p. 38 in not. f. leg. *praeccepta*.  
p. 41 l. 6. leg. *ingenii* l. 15 leg. *delectasset*.  
p. 46 l. 21. leg. *ipse adierit*.  
p. 48 leg. *sive inductiones*.  
p. 49 l. 7 deletur; ut  
p. 50 l. 6 leg. *argumentationes* l. 19 leg. *poteris*.

Cetera autem leviora forsan vitia, ut commata & alia ejusdem indolis, corrigat ipse Lector Benevolus; graviora autem in posterum emendare conabimur.

De Veritate Aethetica.

37

cacuminibus obdormit tenerrimæ conjugis amore delinitus, ac si expergefactus objurgationibus indulserit, non enim est mihi Deus, neque Juno Dea, sed hæc est calliditas illecebrarum ope victrix, ille autem humana est constantia & virtus, quam vel præstantissimam Cupido sæpe vincit. Si Mars vulneratur atque clamorem centum hominum illo majorem edit, ad vim belli pingendam æque pertinet, eandemque habet majestatem, ac illa qua alio loco Deum uno passu ex uno regno ad alterum transire pingit; nec non solent vulnera bellorum esse comites. Si autem nostræ sanctissimæ & sublimiori religioni ejusmodi immisceantur fabulæ, id quidem æquo animo ferre nemo possit sed uti turpe & falsissimum erit reprehendendum. Si nautæ quales cecinit Camouens tempestate pressi vota fundant calidissima ad sanctissimum, quem nos colimus religionis auctorem, & Venus precibus hisce responderit, ac si huic religionem Christianam propagandi cura committitur, quis est tam & stultus & irreligiosus, vel tam parum in æstheticis versatus, quin ad ejusmodi monstra animus ejus horreat, idque eo magis quo, certius constat, ejusmodi deliria opportunitatem probra in ipsam sanctissimam religionem conjiciendi subministrare impiis uberrimam. Si denique Miltonus palatium exstruit in orco splendidissimum, si Diaboli majores ut possent illud intrare, in pygmæos transmutantur; si Deus ipse decernit ut victores sint angeli, & nihilo tamen minus victoria anceps & dubia est; si vel

F

fum-

summa inquam & celsissima ingenia in ejusmodi a-  
beunt errores; cuicumque tamen facile patet, ut omnia  
tempori, loco, rei, personis convenient suis, primam  
esse debere, quam in litteris elegantioribus observare  
oportet regulam.

## §. VIII.

Sic igitur impetravimus ut poëtis fingere liceret,  
quod jus si illis abstuleris, penitus tolletur divina ars:  
quæ tota quanta inde pendet *f*). Sed simul hoc  
inulcavimus præceptum, quod probabiliora fingere  
debeant vates: quibus observatis *Horatii* regulam,  
totam illam, de qua disputatur æstheticam veritatem  
complecti constabit:

*Ficta voluptatis causa sint proxima veris,  
nec quodcumque velit poscat sibi fabula credi*

hæc igitur prima est atque præcipua veritatis con-  
ditio.

Valet hoc præceptum de omnibus artibus, ubi  
quid fingere ac ingeniose invenire licet. Sic de pi-  
ctoris, de cælatoris, de sculptoris, de architecti ar-  
te,

*f*) Sic saltem *Arist.* calculos subduxit, & omnes post illum  
præceptis lit. eleg. tradentes. Vide cap. VII, libri de  
Poësis.

te, & opera, quæque aliæ artes tales sunt. Cum  
autem diva poësis & exemplis fertilissima sit, & ab  
eadem suas observationes maxime defumserint do-  
ctores, nobis etiam illorum premere liceat vestigia.  
Ad picturam igitur studiose referatur oportet veri-  
tatis observandæ regula, ab ipsa fabula exordiendo  
& ad minimas progrediendo operis partes. De ipsa  
nempe fabula, de operis quasi actione, præceperunt  
artium elegantiorum magistri, ut una sit. Hoc præ-  
ceptum inulcavit jam dudum *Aristoteles* *g*); idem  
inulcant hodie omnes quotquot leges artibus ferunt,  
& quidem summo inulcant jure. Ita enim compa-  
ratæ sunt animi nostri facultates, ut si ad plures res  
distrabantur, vis earum hebetetur; cumque omnis  
ars in eo occupata sit, ut summam pariat delecta-  
tionem; sequitur ut unitas in omnibus operibus vir-  
tus esse debeat palmaria. Est unitas veluti prisma,  
in quo pulcherrimi colores simul colliguntur, neque  
adhuc meliorem pulchri definitionem invenit orbis  
litteratus, quam quod sit feliciter exhibita multarum  
partium unitas. Ex eadem ratione qua unitatem fa-  
bulæ esse servandam præceperunt doctores, tempo-  
ris quoque ac loci illam urserunt, adeo ut præce-  
pta de tribus unitatibus neque in amplissimis operi-  
bus, neque in compendiis æstheticis prætermittenda cer-  
nas.

F 2

*g*) Hæc sunt illius verba. *ἡ ἐν, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις  
μιμήσιν ἢ μία μίμησις ἓν ἐστίν.* & quæ sequuntur.

nas. Nos autem de his agere differimus, donec ad dramaticum genus, ubi præcipue quasi regnare debent, pervenimus speciatim examinandum. Hoc autem loco sufficiat monuisse omnia poemata, quibus nullus certus propositus est finis, quæ nullum totum constituunt, esse inepta censenda. Omnes itaque partes ad totum quoddam constituendum conferant necesse est, atque ita conferant, ut lector nexum illas inter perspicere valeat. Nemo quidem negare potest Museum *Fintac*, cujus descriptionem nobis dedit ingeniosissimus auctor, quamque heic utpote multorum quæ habentur poematum imaginem adferre liceat, unum esse, hoc est intra definitos parietes inclusum; sed est hæc quoque sola, quam ibi invenire tibi licet, unitas *h*), quemadmodum libris multis nulla alia inest, quam quæ in voluminis compage consistit. Ratio humana in omnibus rebus nexum postu-

*h*) Le cabinet ou il fut introduit, annonçoit la multiplicité des études, & la foule des connoissances. On voyoit le plancher couvert d'in folio pele mele entassés, de rouleaux d'estampes, de cartes deployées, & de manuscrits semés au hasard; sur une table un Tacite ouverte à côté d'une lampe sépulchrale, entourée de medailles antiques; plus loin un telescope sur son affut, l'esquisse d'un tableau sur le chevalet, un modele de bas relief en cire, des morceaux d'histoire naturelle; & du parquet au plafond, des rayons de livres pittoresquement renversés. Vid. *Contes Moreaux* par *Murmontel*, Tom, Second, p. 241.

postulat, quid, quod eo usque severitatis procedit, ut in litteris elegantioribus partium omnium convenientiam & consensum urgeat, quod quidem præceptum summa ingenia diligenter observasse videbis. *Aristoteles* totum de fatis *Ulyssis* librum paucis lineis exponit *i*), quo eadem ratione veri ingenii quivis foetus exponi & potest & debet. Vera itaque est totius poematis fabula, non quia unicum pingit Heroem, sed quia unam actionem, non quia plures actiones timeat exponere, sed quia hæc omnes, omnes episodi ad principalem illam actionem commode possunt referri. Neque necessarium ducimus, ut nisi una linea indicemus, nihil absurdi & absoni dignum esse quod actionem constituat operis: non enim lectorem delectaverat *Homerus* ipse quamvis in elocutione excellentissima dote ornatus, si *Ulysses* ad lunam, sit inepto forsan exemplo venia indulgentissima, iter facere permisisset, atque ejus sub hoc itinere fata cecinisset. Cujuscunque videlicet poematis fabula non tantum una sit, ut vera recte habeatur, sed etiam probabilis, sed etiam lectu digna, quod

F 3

*i*) Αποδημήντος τινος ετη πολλα, και παραφυλαττομενος υπο τῃ ποσειδανος και μόνῃ ὄντες. Ετι δε τον ακόν ετως εχωντων, ωσε τα Χρηματα, υπο μηνσηων αναλισκοθαι, και τον υιον επιβλευσθαι, αυτος αφικνεσαι χειματθεις, και αναγνωριστας τινας, αυτοις επιτεμενος, αυτος μεν Εσωθη, τας δε εχτρες διεφθειρε. Vid. cap. 16. ποιητικης.

quod libentius largieris spero, ubi ad singula poë-  
seos genera examinanda ordinis secuti legem nos  
contulerimus.

## §. IX.

Sed non sufficit, ut in ipsa tantum fabula insit  
veritas; in singulis quoque partibus, quæ membra,  
ut ita dicam, constituunt operis cujusvis, inveniatur  
necesse est. Huc referre licet narrationes, argu-  
mentationes, mores, adfectus & quæ sunt reliqua,  
in quibus omnibus reperitur oportet veritas, cujus  
in sequentibus nobis forsan licebit attingere naturam.  
Ad narrationes quod attinet, cuique facile constat,  
eas in epico quidem genere præcipue locum habe-  
re, sed in dramatico etiam eas adhiberi neminem  
fugit: res itaque maximi ponderis est ad illarum at-  
tendere veritatem. Qui narrat, credi vult; sed cum  
nihil absurdum fide dignum videatur, sequitur ut  
vera referat narraturus, si probari cupit. Sed tamen  
inaudita, singularia atque fidem primo intuitu respu-  
entia sæpissime illam admittunt; atque ex auctoris  
pendet artificio, vero similitatem illis etiam compa-  
rare, quæ ad fidem haud prona esse videntur. Nam  
quod cecinit sublimis poëta:

καὶ ἄπιστον εἰρήσατο πῖνον  
εἰμμεναι τὸ πολλὰκις.

id quidem latius patet. Sæpissime accidere potest,  
ut

ut compages casuum possibilium, quos nunquam an-  
tea experti sumus, falsa nobis obveniat atque repre-  
hendenda; sed si singulas narrationis partes apte com-  
ponere noveris; si factis antea probato quasi fulero  
suo superstruas inauditum illud, quod probare cupis;  
si ad fidem pariendam incredibili rei aliud adhibere  
vales exemplum adhuc magis a fide alienum, cujus  
tamen veritatem experientia confirmavit: si ad hæc  
omnia sollicite attenderis; invenes mentes hominum  
fatis pronas ad unum alterius causa concedendum.  
Ita enim comparata est mens humana, ut casuum si-  
milium expectationi nimium quantum indulgeat k):  
nonne unum æque verum esse poterit ac alterum?  
quæstio est, quam in vita communi quotidie repeti au-  
dies; atque ars auctoris in eo sæpissime consistit,  
quod licentia sibi hoc respectu concessa callide ac  
moderate in narrationibus contexendis utatur.

Sed ad veritatem narrationum requiritur præ-  
terea multarum rerum convenientia, ut exempli  
caussa loci, temporis, personarum, & qui narrat  
& quibus narratur, cætera ut taceam. Si *Nestor*  
*Home-*

k) Par une espece de paralogisme qui nous est naturel, nous  
concluons de ce qu'une chose est véritable que celle, qui  
la suit doit l'être. Sic argumentatur Aristotelem secu-  
tus Cel. Marmontel. Vide ejus librum de Poësi Gallica  
Tom. 2. p. 14. Cit. Arist. ποιητικῆς. Cap. XVIII.

*Homericus suas cum Gigantibus monstrisque montanis pugnans, suam in illis oppugnandis fortitudinem, in tentorio Achillis celebrat, facilem habebit excusationem: est enim senex, adest in tentorio Achillis, requirit res, ut auctoritatem quandam sibi vindicet. Sed si longas suas ad nominis sui gloriam celebrandam orationes in ardentissima pugna idem recitaverit, minime probandus erit l). Nemo quidem negare potest, narrationem *Theramensis*, qua *Theseum* de maxime horrenda filii carissimi morte certiolem facit, esse egregiam, esse majestate plenissimam. Quis sublimiores his scripserit versus:*

*Cependant sur le dos de la plaine liquide,  
S'élève a gros Bouillons une Montagne humide.  
L'onde approche, se brise & vomit a nos yeux,  
Parmi des flots d'écume un monstre furieux.  
Son front large est armé de cornes menaçantes.  
Tout son corps est couvert d'écailles jaunissantes.  
Indomtable Taureau dragon impetueux  
sa croupe se recourbe en replis tortueux.*

Ses

l) Neque defuere Critici qui hoc etiam nomine *Homerum* taxarunt, quod Heroas suos in occasionibus tam ineptis longioribus indulgere narrationibus passus est: de quo *Confulas Marmont*,

*Ses longs mugiffemens font trembler le rivage.  
Le Ciel avec horreur voit ce monstre sauvage,  
la terre s'en emeut, l'air en est infecté  
le flot, qui l'apporta, recule epouanté.  
Tout fuit, & sans s'armer d'un courage inutile,  
dans le Temple voisin chacun cherche un azile m).*

Pulchra utique sunt hæc, sed veritati quomodo satisfaciunt? Estne vir severus moribus principis adolescentis formandis præpositus poëta? estne pater elegantiorum artium magister, cui recitare juvat sua carmina? Unde utriusque otii tantum accessit, quantum ad longam hanc orationem & recitandam & audiendam requiritur? Amicus qui socii dulcissimi fatum narrat, pater qui filium carissimum amisit, non verborum multitudini indulget, sed suspiriis, non per imagines narrant, sed per lacrimas, vel potius per grave illud & horrendum desperati animi silentium. Non est itaque quod miremur, omnes fere doctores æstheticos hoc præposteræ eloquentiæ reprehendisse exemplum n). Sed quod *Æneas Dido*ni sua fata narraturus latius, evagetur id quidem nemo improbaverit. Convenit & loco & tempori:

G

Con-

m) Vide *Phedre de Racine* Act. V. Scen. VI. —

n) Vide *Boileau* Tom. IV a pag. 227 usque ad pag. 266.  
Vide *Marmontel*, *Voltaire*, *Home* & multos alios,

convenit utriusque ingenio, atque conditioni. *Aeneas* multa tulit, quam dulce autem est, quam naturæ convenit, fata sua superata aliis enarrare? *Dido* est foemina; quam igitur lubenter exaudiat illa oportet? est insuper *Aeneæ* amicissima, quam vero libenter audimus, quem amamus?

Si præterea narrationem tuam veram efficere volueris, cura ut vocem, ut verba ad rei naturam adcommodes. *Virgilius* tempestatem descripturus, grandis, sublimis, amplus est, atque sic phantasiam suaviter permulcet

*Ruit arduus æther*

*Et pluvia ingenti sata læta boumque labores  
diluit: implentur fossæ, Et cava flumina crescunt  
cum sonitu, fervetque fretis spirantibus æquor  
ipse pater, media nimborum in nocte, corusca  
fulmina molitur dextra: quo maximo  
motu terra tremuit: fugere ferae Et mortalia corda  
per gentes humilis stravit pavor.*

Sed si quis in horrenda ejusmodi tempestate vitæ periculum ipse adiit, atque ubi in littore pedem posuerit, amico narret, quæ expertus fuerit; brevior sit, & ad movendum quam ad delectandum magis adcommodata ejus oratio, inprimis si gravissima fuerit passus. Matrem desperatam, patrem moribundum,

dum, filium infelicissimum vel quemcunque vehementiori adfectu commotum si induxeris narrantes; non est quod flores & imagines, quod ingeniosas sententias illos proferre patiaris: hoc non magis convenit, quam si gressibus ad saltatoriæ artis leges mollioriter compositis funus prosequeris.

### §. X.

Quemadmodum in vita humana summum jus summa sæpe fiat injuria; ita etiam in Æstheticis summam veritatem summæ falsitatis naturam posse aliquando induere constat. Valet hoc inprimis de argumentationibus, quæ ad logicum dispositæ rigorem veræ quidem sunt, sed quæ in poësi exempli gratia, adhibitæ veritatis plerumque speciem amittunt. Dixit quidem *Quintilianus* de eloquentia: *locuples Et speciosa vult esse, quorum nihil assequitur si conclusionibus certis Et crebris Et in unam prope formam cadentibus concisa, Et contemptum ex humilitate, Et odium ex quadam servitute, Et ex copia servitute Et ex amplitudine fastidium tulerit: feratur autem non de semitis, sed campis Et quæ sunt reliqua.* Quod si hoc de eloquentia valet, quanto justius ad poësin applicari poterit, cui quidem majorem licentiam nemo denegaverit. Severam igitur syllogismi formam in opere quovis æsthetico adhibere & alienum & ridiculum esset. Differunt inter se logicus atque rhetoricus syllogismus eo, quod ille nullas admittat nisi

exactæ veritati convenientes præmissas, nudis verbis breviter expressas; hic autem & probabilibus indulgeat & ornate singula proponat. Imaginatio atque sensus, non æque severi iudices sunt ac intellectus. Hic ad litteram iudicat, illa voluptate abrepta minuscularum quarumvis culparum obliviscitur. Hic gravis est pater, illa mater indulgentior. Sed nihil tamen absurdi, nihil quod puerile sit aut ridiculum, insit argumentationibus sive illa epichiremata fuerint sive enthymemata, sine inductiones & exempla o). Constat quidem inductionem præcipuam fuisse *Socratis* argumentandi rationem, qua in discipulis suis docendis felicissime usus est. Quo autem splendidior, quo evidentior efficaciorque est; eo etiam plus adhibendum est curæ, ut vera sit. *Quintilianus* *Ciceronem* secutus exemplum adfert falsæ inductionis evidentissimum. Dic mihi *Xenophontis* uxor si vicina tua melius habeat aurum quam tu habes, tuum an illius malis? illius inquit. Quid si vestem & ceterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes,

o) Frälsaren ville ej nyttja facklor, ej en gång sjelfva Himmelens facklor vid sin begrafning, för at förekomma all ståt vid begrafningar, hoc est enthymema, sed enthymema absurdissimum: æque ac hoc: at så mycket snarare göra sin upståndelse bekant, lät han först se sig af *Quintilianus*, quæ quidem argumentatio quam insulsa sit, nemo non videt.

bes, tuum an illius malis? illius vero respondit. Age inquit, si virum illa meliorem habeat quam tu habes, virumne tuum an illius malis? Hic docente eodem *Quintiliano* mulier erubuit. Falsæ erant præmissæ, unde labem contraxit conclusio p). Cum poëtæ & oratori etiam pro argumento exemplum vel allegoriam adhibere liceat; summa ope niti eum decet, ut ne quid discrepans vel absonum in medium proferat; sed curet ut omnibus æque præclara insit veritas ac in fabula ista, cujus mentionem fecit *Aristoteles*, cuique plus ponderis recte addidit quam firmissimo cuivis argumento: fabulam puto, quam protulit *Stesichorus* poëta in concilio *Himerensium*, qui *Phalaridæ* ad *Tyrranidem* adspiranti militum manum in custodiam corporis imprudenter concedere parabant. Exempli igitur loco fabulam iis proposuit de equo, qui auxilium hominis contra vim cervi imploravit, cuique homo respondit, se quidem ad illum adjuvandum esse paratum, sed hac conditione ut equus fræna ore acciperet & dorsum suum conscendi permetteret; quod ille cum permetteret, auxilii loco servitutis jugum accepit perpetuum q). Cum autem similitudine afferenda rem demonstrare volueris, id præcipue cures, ut similitudo & a rebus veris petatur & clare appareat. Si dixeris exempli gratia quem-

G 3

p) Vide *Quintilianum* Lib. V, Cap. XI.

q) Vide *Arist.* Rhet. Cap. XXI. Libri secundi.



quemadmodum vetus navis ita etiam vetus amicitia optima est, dixeris quod nemo sanus probaverit utpote experientiae repugnans. Si autem amicitiam veterem cum veteri vino comparaveris, non minus elegans quam vera tua erit similitudo. Sunt nonnullae argumentationes, quarum falsitatem ægre possumus evincere, quamvis ut sublestæ fidei nobis obveniant; quod cum accidit, ad contrarium exemplum confugiamus oportet, ut in hoc, quod citare liceat, cum aptius aliud memoriæ nunc non succurrat exemplum

*Sjelf bôr den vara fri, som fria män regerar*

quæ quidem argumentatio speciem præ se fert veritatis, sed quæ falsa erit si eandem in alia re adhibueris formam,

*Sjelf bôr den vara fet, som feta oxar drifver.*

cujus ad argumentationis normam vel sexcenta ejusdem indolis exempla componere ipse, si tibi placuerit, potes.

### §. XI.

Doctrina de moribus præcipua erat pars veterum Rhetoricæ, unde satis patet, quanti sit ponderis. Illorum nempe præcepta λογος ηδνη & παθη spectantia omnibus & cognita sunt, & esse debent. Mores autem consideravit *Aristoteles* vel ut virtutes, quibus ornatus sit oportet orator, vel ut ingenii

nii notas, quas in aliis observare & accuratissime depingere ad fidem dictis suis comparandam ejus est officium. Ad primas illas, quas nominavimus, retulit idem *Φρονισιν αρετην & ευνοϊαν*, ad quas plures si quidem libuerit addi possunt. In hoc autem inter se differunt poëtæ & oratores, quod hi mores adhiheant ut sic fidem inveniant, illi autem præcipue ut delectent. Quod itaque ad mores aliorum depingendos attinet, tanto major in ea re ponenda est cura, quanto difficilius sit negotium. Causa autem cur ex moribus feliciter depictis, præterquam quod plurimum probabilitatis orationi nostræ accedat, tantum voluptatis percipiamus, quærenda est in eo, quod dixit *Stagirita*: hominem esse animal *μικτικωτάτων* r). Cum vero inter omnes constet, mores exacte redditos, tantum habere in delectatione movenda efficaciam, per se patere videtur, eo majori studio in id esse incumbendum, ut rite reddantur. In eo autem, si ad naturæ exemplar describantur, posita est illa, quam in moribus quærimus veritas. Quod ut assequantur artifices, hominem in omnibus spectatum conditionibus cognoscere studeant, optimus enim, quem de homine legere possumus liber, homo ipse est. Non tamen negligenda sunt, quæ ad hanc rem illustrandam immortalia summorum viro-  
rum

r) Qua de re plura videas in ipso laudati viri libro imprimis capite 4. *περι ποιητικης*.

rum ingenia protulerunt; idque eo minus, quo certius constat in nulla fere re nitidiora & elegantiora ac in hac, dedisse doctores præcepta. *Aristoteles*, quo neminem forsitan cum minori placendi conatu de eloquentia scripsisse putes, ubi mores suscipit depingendos quasi sui oblitus ingenii eloquentiæ indulgisse videtur, ac non philosophus tantummodo esse, sed orator, sed vates, sed pictor; nec argumentari, sed differere, non describere sed pingere: quod satis superque ei constabit, qui vel caput *decimum quartum* libri secundi de moribus juvenum perlegere voluerit. In quo sane capite tam acutus, tam elegans, & delicatus est, ut ipsi *Horatio* palmam præripere videatur s), Nobis itaque nihil aliud superest, nisi ut spicas quas ex aliorum agris raptim collegimus, in nostrum usum convertamus. Est itaque qua-

s) Ne hoc temere asseruisse videamur. Nonnulla adferemus ex laudato loco; neque anxii sumus quid potissimum eligamus; quicquid enim arripias præstantissimum est. οἱ μὲν ἔν νεοὶ τὰ ἤδη εἰσὶν ἐπιδημητικοὶ, καὶ οἷοι ποιεῖν ὧν ἂν ἐπιθυμήσωσι, εὐμηταβολοὶ δὲ καὶ ἀψικροὶ, πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφοδρὰ μὲν ἐπιθυμῶσι, ταχύ δὲ παύονται. Οὐξίαι γὰρ αἱ βελήσεις, καὶ ἔ μεγάλαι, ὥσπερ αἱ τῶν καμντῶν δύναι καὶ πῆναι. Φιλοχρημάτα δὲ ἦμισα, διὰ τὸ μῆπω ἐνδείας πεπειρασθαι. καὶ ἔ κακοῦδεις ἀλλ' ἐνθεῖς διὰ τὸ μῆπω ταδεωρῆναι πολλὰς καὶ εὐπιστοὺς διὰ τὸ μῆπω πολλὰ ἐξηπατηθῆναι. Sed jam satis amplum est hoc speculum, in quo nosmet adspiciamus; nihil ergo ultra addam.

quadruplex ratio mores depingenti observanda. Aut enim secundum affectus, aut secundum *habitus*, aut secundum *atates*, aut denique secundum *fortunas* hominum illos consideret oportet. Sed non tamen est quod credat in his subsistendum esse rationibus. Latius adhuc patent, quæ in eandem rem monuit *Scaliger*. Vult nimirum ille, ut non modo illorum quæ adtulit *Stagirita*, rationem habeamus, sed etiam ad diversas gentes, ad diversas incolas, personas, officia atque sexus attendamus, eamque rationem exemplis, quæ quidem nostro omnia suffragio probare non audemus, illustrat t). Neque reticendum est

H

singu-

t) Sic *Anglum* exempli gratia describit ut *perfidum, inflatum, ferum, stolidum, inertem, inhospitalem, immanem*. Sic Gallicorum mores ita reddit: sunt nimirum isti ad rem *adventi, mobiles, leves, humani, hospitales, prodigi, bellicosi* &c. *Svecicos* autem *Norvegios* & *Scotos* inter belluas refert: *Beluæ sunt omnes*. Diversis officiis fungentium mores ita exhibet, ut sint *milites, exprobratores operum suorum, gloriosi, vani*: reliquas ut taceam virtutes. *Foeminas* acue perstringit: numquam illæ mediocritatem illam tenent, quæ est inter nimium & parum, aut enim *minus quam canem* aut *plus quam sentionem* illorum est symbolum. *Urbani* secundum ejus sententiam sunt *verbis quam factis promptiores, superbi non resistentibus, demissi resistentibus crocodili natura*. Quibus observationibus plures addere potest quicumque, cui *librum poetices Scaligeri tertium* perlegere placuerit,

singula, quibus operam damus studia suis ut dotibus florere, ita vitiis laborare, adeo ut Mathematicus, Metaphysicus, Poëta &c. suis fere quique soleant internosci moribus, quos tamen hic recensere superfluum ducimus. Circa illas vero, quæ de gentium & populorum moribus adferuntur observationes, tenendum est, ad tempora, ad culturam populi cuiusque, ad mutatas rerum publicarum facies, ad cœli genium *u)* & multas alias res probe esse adtendendum, quibus nempe causis præcipue adscribendæ sunt mutationes quas mores gentium subiisse constat. Neque igitur fas est, ut ad *Scaligeri* Normam mores nostri ævi depingantur, quod quidem in genere æque esset absurdum, ac si quis medicos exempli causa hodie & apud nos in scenam introduxerit iisdem vestimentis ornatos, iisdem absurditatibus indulgentes, ob quas illos olim perstrinxit *Molierus*. Unde tamen illum defendere non volumus errorem, quasi in genere singulis populis suum non esset proprium ingenium, quod in mores illorum formandos

nimium

*u)* Singulis hisce momentis plura volumina impleri possunt. Sic exempli gratia magna orta est pugna inter eruditos, ut inter *Montesq.* & *Helvet.* de efficacia Climatum in mores formandos. Neque in nostra patria defuerunt ingenia, quæ in hac re illustranda immortalem collocarunt operam. Opus *Cel. Neikter* hanc materiam spectans omnibus notum est: ut taceam quæ *ad Pindum Auræicum* prodierunt ingenii monumenta.

nimium quantum habeat efficaciam; quodque ne ipsius quidem temporis manus penitus delere plerumque valet, summa igitur animi solertia pictori atque Poëtæ observandum.

Cum autem tam multas easque varias res simul complecti debeat morum pictor; cum singuli affectus quibus obnoxii sumus, moribus nostris impere; cum cuique ætati sui sint mores, æque ac cuique fortunæ, cuique conditioni & muneri; cum plures sæpe res æque haud raro minoris pretii, maximum in mores formandos habeant momentum, adeo ut exempli causa certis morbis laborantes, certis corporis vitiis adflucti, quid quod sitientes & esurientes suos habeant mores, diversum prodant ingenium; quis est qui non causam videat, cur ea opera perfectu sint difficillima, ut exempli gratia Tragediæ & Comœdiæ, in quibus morum pictura exquilita obtinet, quis est qui non videat, moribus accurate exprimendis summopere studendum. Hinc summa ope niti decet quemvis vel oratorem vel pictorem vel vatem &c. ut armatis experientiæ oculis usque ad imas medullas hominis penetrare conetur. Hinc nihil parvum, nihil indifferens est hominibus cognoscendis studenti. Hinc non Heroës modo & reges & sapientes, sed & mendici & infimæ sortis homines nec non stulti recte cognoscendi. Hinc non modo palatia & amplissimæ ædes visitandæ, sed casæ, sed officinæ, quin carceres. Hinc

con-

consuetudo quædam & commercium etiam cum malis morum pictori non est fugiendum. Hinc, ut paucis rem expediam, experientiam vitæ ducem ubique sequamur oportet. Fuit eadem hæc experientia, quæ *Aristoteli* veluti digito monstravit & juvenum & senum mores. Fuit illa quæ *Homerum* inspiravit, unde apud illum existit *Achilles*:

*impiger, iracundus, inexorabilis, acer*

*jura sibi negans nata nihil non arrogans armis.*

Nisi alias *Suecanus Horatius* verius characterem *Achillis* his expresserit

*Så öppen som den rymd, der dagens stjerna skrider,  
så öppen är hans själ, han klagar då han lider,  
förtryter sit förtryck, och håmnas, om han kan.*

Hæc *lyram Flacco* porrexit canenti:

*Reddere qui voces jam scit puer & pede certo  
signat humum, gestit paribus colludere & iram  
colligit ac, ponit temere, & mutatur in horas.*

*Imberbis juvenis, tandem custode remoto  
gaudet equis canibusque & aprici gramine campi &c.*

Experientia denique fuit quæ *Moliero* penam porrexit, cujus acutissimo apice nares pupugit vitiorum; cujus pluma leviter sed moleste tamen stultitiarum quarumvis labia titillavit. Sed